



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Eorum auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum verò in quasdam tantùm provincias. Disputatio instituitur de terminis Aquitanicæ legationis, quæ plurimum olim splendoris & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

duunenses. Gebuinus impatienter tulit legationem apostolica sedis Amato concessam esse in tertia Lugdunensi, non tamen palam contradicere ausus. Probat ex epistola Gebuini ad Archiepiscopum Turonensem & ad Episcopum Andegavensem.

X. Eadem amulatio exercuit Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem; qui ut obliquè infringeret auctoritatem Amati in tertia Lugdunensi, eodem tempore Turonensem Archiepiscopum ad se evocavit quo eum Amatus ad synodum invitaverat. Bene tamen deinceps inter eos convenit.

XI. Termini Aquitania legationis non fuere semper certi, sed contracti aut dilatati pro libio Pontificum Romanorum. Gaufridus Episcopus Carnotensis habuit legationem Aquitania post Gerardum Engolismensem. Emendatur auctor Chronici Maurignacensis, & Martyrologium Carnotense.

Vide infra lib. 6. cap. 30. §. 1.

HACTENUS satis æqua lege constituta ecclesiastica politia, tamen et si Nicolaus nonnulla gravissimi momenti tentasset adversus mores antiquos. At ex fundamentis quæ jacta sunt desinente secunda Regum nostrorum stirpe consecuta est nova ejusdem politia forma in detrimentum Metropolitanorum Conciliorumque provincialium & generalium regni Francici. Quin & eodem tempore valde imminuta est regia auctoritas. Nam Legatorum missiones adeo frequentes deinceps fuerunt, & potestas illis ab apostolica sede concessa tam splendida erat ac magnifica, ut omnes causæ ecclesiasticae ab eorum nutu penderent, & secundum illorum voluntatem judicarentur, aut ad apostolicam sedem remitterentur. Tum porro Legati non solum causas privatorum hominum soli judicabant, sed ad eos pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis quæ intra terminos legationis eorum continebantur, & in his Conciliis primum semper locum obtinebant etiam supra Metropolitanos. In mandatis porro quæ Legatis dabantur, illud in primis erat, ut generalia legationis suæ Concilia celebrarent, ut discimus ex Eadmero in libro quinto historiarum Novorum. Vnde & in epistola Anacleti II. ad Episcopos Gallicanos scriptum est injunctum esse Ortoni Episcopo Tudertino, quem Legatum in Galliam mittebat idem Anacletus, uti Concilia celebraret, ac si qua emergerent negotia, unâ cum Episcopis Gallicanis justitia mediante terminaret, quod etiam observavit idem Anacletus in epistolis de legatione Gerardi Episcopi Engolismensis, quæ extant apud Baronium. Hinc factum ut statim ac Legatus advenerat in provinciam, de Concilio celebrando cogitaret. Quare nemini mirum videri debet si duo plurave Concilia intra unum annum in eadem provincia à Legatis celebrata esse legitur.

Baron. ad an. 1150. §. 35.

Ibid. §. 4.

II. Magna autem erat eorum dignatio, quòd in provinciis positi usurparent auctoritatem suspendendi & deponendi Metropolitanos & alios Episcopos. Præterea sedis apostolicæ judicio reservare poterant ea quibus Episcopi consentire nollent in Conciliis, ea Legatis auctoritate concessa, ut unicum eorum suffragium æquipararetur collectis totius synodi suffragiis. Quin & primam causarum cognitionem ad se trahebant in Conciliis definiendam, & interdum etiam absque Concilio. Denique canones & constitutiones condebant pro observatione disciplinæ ecclesiasticæ. Quæ omnia cum copiosè explicata sint ab illustrissimo Archiepiscopo in capite trigesimo libri sequentis, necesse non est ea isthuc repetere. Igitur ad reliqua transeamus.

III. Legati hujuscemodi mittebantur ad diversa regna; eorum verò auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum verò in quasdam tantum provincias. De his ad quorum curam pertinebat totum corpus regni non attinet dicere. Sed cum legatio Aquitanie, quæ plurimum splendoris & auctoritatis habuit à tempore Gregorij VII. usque ad Innocentium secundum, satis hæcenus obscura & involuta fuerit, non inutile erit heic ejus initia & progressum terminosque describere, cum Legati istiusmodi tum maxima quæque negotia in Gallis emergentia suo judicio definirent. Obscura, inquam, hæcenus fuit ista materia. Neque enim satisfacit Bernardus Abbas Bonævallus, quum in libro secundo de vita sancti Bernardi cap. vi. de Gerardo Episcopo Engolismensi loquens, qui Aquitanie Legatus fuit, ait: *Erubescere enim ad primam domum redire, cujus potentatui & Turonica & Burdegalenfis & Auxiensis provincie subdite fuerant, & quicquid à collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruerat ejus imperio.* Etenim Britannia, quæ trans Ligerim incolitur, ad Aquitanicam legationem pertinebat, utalij jam observaverunt, & constat ex epistolis Paschalis II. & Callisti II. Summorum Pontificum. Præterea Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis, adversus eundem Gerardum scribens, ait eum quinque archiepiscopatus singulari potestate præfuisse, & in ipsis vices Romani Pontificis exercuisse, cum tamen in loco mox prolato ex vita sancti Bernardi tres tantum archiepiscopatus recensentur intra limites legationis istius Gerardi. Indiget itaque hic locus explanatione. Affirmare auctim Aquitanicam legationem constituisse ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi, &

Britannica, eosque esse quinque archiepiscopatus ab Arnulpho Lexoviensi intellectos. Nam tum Britannia provincia Archiepiscopum suum habebat, Dolensem nimirum antistitem, qui dictus est Archiepiscopus usque ad tempora Innocentij III. invitis licet ac reclamantibus Archiepiscopis Turonensibus.

IV. Veram esse hanc nostram observationem docet vetus scriptor historiae Pontificum & Comitum Engolismensium à viro clarissimo Philippo Labbeo editus; cujus hæc sunt verba: *Gerardus verò Engolismensis Episcopus cum Domino Paschali Papa adhaesisset, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honestate & præclara sapientia, ei vices suas prius in Britannia, & deinde Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Auscitana provinciis commisit. Extant literæ Paschalis II. quæ apertè docent hunc Episcopum Engolismensem ab eo constitutum fuisse Legatum in provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi, & Britannia, editæ illæ quidem ex codice MS. sancti Albini Andegavensis in tomo tertio Spicilegij Domni Lucæ Dacherij viri optimi & de antiquitate ecclesiastica bene meriti; quas tamen, quòd ab authentico nonnihil deflexerint, secunda editione donandas esse censuimus. Sic ergo habent in eodem codice sancti Albini.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, atque Principibus per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, atque Britanniam provincias constitutis, & ceteris tam Clericis quam laicis, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolica sedis auctoritate providentiâque compellimur, cui auctore Deo presidemus indigenti, non solum vicinis & proximis, sed procul etiam positis fidelibus, quæ ad salutem spectant animæ providere, quod, quantum in nobis est, auxiliante Domino implere satagimus. Proinde vobis, carissimi fratres & filij, Apostolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paterna vos affectione cohortamur in Domino quatenus usque in finem firmum propositum justitiæ teneatis, laboris mercedem maximam in æterna gloria percepturi. Ut autem penes vos habeatis apud quem querelas vestras atque negotia, cum opportunum fuerit, referatis, cujusque consilio & hortatu quæ ad salutem vestram attingenti peragatis, vices nostras fratri carissimo Gerardo Engolismensi Episcopo commisimus, in partes eum nostra sollicitudinis adfiscientes. Huic vice nostra, ut nostro Apostolorumque in partibus vestris Vicario, ad Dei honorem & ad salutem animarum vestrarum fideliter obedite; ut vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda sunt extirpare, quæ corroboranda sunt corroborare prevaleat. Nec sollicitudinem, fratres carissimi, pigeat, cum

neccitas ecclesiastica utilitatis exegerit, synodales cum eo celebrare conventus; quos nimirum convocandi nos ei vice nostra potestatem indulgemus. Data Laterani xviii. Kal. Maj.

V. Extincto deinde Paschali anno mcxviii. non constat an Gerardo commissa fuerit legatio Aquitanica à Gelasio successore Paschalis. Imò Callistus II. vices suas per eandem provincias illi delegans, ait se id facere ad exemplum Paschalis, nulla facta mentione Gelasij. Vnde colligi possèt illum hac auctoritate instructum non fuisse à Gelasio. Præterea Cono Episcopus Prænestinus ad Hugonem Episcopum Nivernensem scribens de electione Callisti secundi, dum ait Gerardum Engolismensem Episcopum in partes ejus transisse, his verbis utitur quæ indicare videntur illum abalienatum quodam modo fuisse à Curia Romana tempore Gelasij. Ait enim: *Nam & Engolismensis Episcopus, antequam à nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat. Ratio autem alia propter quam Gerardus commotus esset adversus Gelasium haud dubiè alia esse non potuit quàm quia vices illi suas non commiserat. Legatum tamen apostolicæ sedis fuisse etiam sub pontificatu Gelasij dicere videtur Ordericus Vitalis, qui de ejus morte loquens ita scribit:*

Tunc Girardus Engolismensis Episcopus, vir eruditissimus, migravit, qui magni nominis & potestatis in Romano Senatu tempore Paschalis Papæ, & Gelasij, Calixti, & Honorij fuit. Innocentij secundi tempora omisit, quia Girardus ab illo non stertit, imò adversarij ejus Anacleti partes impensè fovit.

VI. Electo deinde Callisto II. apud Cluniacum anno mcxix. Gerardus Engolismensis Episcopus in partes transgressus, electioni ejus subscripsit, ut mox dicebamus, & ei se subdidit. Tum ei haud dubiè monstrata est legatio Aquitanica, ad mitigandum viri præpotentis animum. Itaque anno sequenti Pontifex ad Gallos in quinque provinciis Aquitanica legatione comprehendi solitis hæc scripsit de vicibus apostolicæ sedis rursus commissis eidem Gerardo. Extat epistola illa in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis, unde à nobis primum edita est.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei, dilectis fratribus & filiis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, & ceteris tam Clericis, quam laicis, per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem, & Britanniam provincias constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Et patrum præcedentium institutio exigat, & fraternæ caritatis debitum nos compellit, ut providere salubriter universis